



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

V. Beatam dicunt tentati; quia est eorum Protectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

positum statim primâ nocte conjugem, ac cum illa profugit ad monasterium Cisterciense, ubi ille reliquum vitæ inter viros, hæc inter fæminas exegit. Tibi cecinit *Joannes Geometra hymno secundo*. Ave Virgo in qua sunt hyacinthi purpurei gratiæ, in cujus folijs sunt libertatis literæ, nec verbum est mortis. *S. Bernard. in verba Apoc.* Præterea Maria velut alterum solem induit sibi, quemadmodum enim ille super bonos, & malos indifferenter, super justos & peccatores: sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, clementissimam præbet, omnium denique necessitates Materno miseretur affectu.

Hanc Virginis misericordiam tantoperè consideravit *Bonav. spec.* ut dixerit. Non solum in te peccant ô Domina, qui tibi injuriam irrogant, sed etiam qui te non rogant. *S. Germanus Archiep. Constantinop. in encom: zone cap. 10.* Tu ô castissima, & optima, & summè misericors Domina, Christianorum Solatium, eorum qui affliguntur potentissima Recreatio, paratissimum Refugium peccatorum. *Cap. 12.* Non est revera finis tuæ magnitudinis, non est ulla satietas tuæ defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum. *Richard. à S. Victorino p. 2. in cant. cap. 23.* In te Virgo concrevit lac misericordiæ; quia cibus ille, quo Christus in plenitudinem ætatis alitus est, non erat aliud, quàm misericordiæ lac, ad faciendam misericordiam nobiscum: adeò Virgo pietate replentur ubera tua, ut alicujus noticiâ miseræ tacta lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire, & non subvenire. Et quid mirum si misericordiâ affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti? carnalia in te Christus ubera suxit, ut per te nobis spiritualia fluere: cum enim misericordiam lactasti, ab eadem misericordiæ ubera accepisti. *Hugo Victor. Inst. monast. serm. 65.* Quid misericordius B. Mariâ, quæ à cunctis fidelibus misericordiæ Mater esse comprobatur. *S. Bernardinus tom. 3. serm. 11. art. 1. cap. 3.* Aliquando (Nubes quæ deducebat populum in deserto) præcedebat, aliquando superferebatur, ut mysticè patrocina B. Virginis in populum electorum, & omnium Christianorum designaret. *Bonavent. spec. cap. 5.* Quis Mariæ immensitatem dimensus est, nisi ille solus, qui ipsam non solum in gratia, & gloria, sed etiam in misericordia altissimam, tam profundam operatus est.

5. Beatam dicunt tentati.

Quia est eorum Protectio.

*Raymundus Bullus Erumita lib. de laud. Virg. cap. 30.* dixit: Neminem timere oportet, & malitiam dæmonum, cum teneat Dei Genitricem sibi propitiâ, & protectricem.

R 3

stular

stulat ab ea auxilium, & succursum. Imò ipsa *Virgo apud Brigittam lib. 7. rev. cap. 7.* Omnes dæmones verentur hoc nomen (MARIA) & timent, qui audientes hoc nomen Maria, statim relinquunt animam de unguibus, quibus eam tenebant: sicut enim avis quæ in prædam ungues & rostrum habet, si audièrit sonum aliquem, relinquit prædam, sed cum nihil operis sequi videt, revertitur statim ad eandem; sic dæmones audito nomine meo statim relinquunt animam quasi territi, sed iterum advolant, & revertuntur ad eandem, quasi sagitta velocissima, nisi aliqua emendatio subsequatur. Nullus etiam tam frigidus ab amore Dei est, nisi sit damnatus, si invocaverit hoc nomen, hac intentione, ut nunquam reverti velit ad opus solitum, quòd non discedat ab eo statim diabolus, & nunquam amplius revertitur, nisi resumpserit voluntatem peccandi mortaliter.

Describit fusè hoc ipsum *Amedeus hom. 8. de laud. B. V.* Dici non potest quoties hi asperis scopulis naufragaturi offenderent, illi in fyrtes pessimas non reversuri inciderent, hos Scyllæ vorago hiatu horribili mergeret, illos sirenarum cantus in exitium dulce retinerent: nisi Stella maris perpetua Virgo Maria, optima validissimâ obtitisset, suosque fracto jam gubernaculo, & rate conquassatâ, omnino humano consilio destitutos, cælesti ducatu ad portum æternæ pacis applicandos eveheret. Experta est id ipsum Monialis, de qua *S. Petrus Celestinus opusc. 6. cap. 12.* Hæc seducta à quopiam fugam in monasterio meditabatur, ad idque clavim portæ monasterij furata, usura eâ noctu, dum ergo nocte prima vadit versus portam, pro consuetudine ibi imaginem locatam Divæ Virginis transiens salutatur: laborat deinde tota nocte circa portam, sed nullatenus aperire potest: idem secunda nocte evenit eodem modo salutata Virgine ad imaginem: tandem tertiâ nocte eodem modo factâ salutatione ejusdem, portam aperire laborat, & ecce advertit manum quandam obtegentem foramen seræ, quæ clavis erat inferenda: & dum amplius respicit, ipsam Divam Virginem advertit: & ab ea talia audit. *Quid facis ô filia? nunquid tu vis manum meam clavi tuâ perforare? nonne paulo ante me salutans corpus tuum & animam meam custodiæ commisitisti? & ecce nunc ad scelus vis pergere? estne ullus pulchrior, vel ditior, vel sapientior, sponso tuo Filio meo? compuncta Monialis retractavit scelus.* Hæc est altera *Rebecca teste Bernardo serm. de B. Virg. quæ Gen. 17.* Jacobum præmonet, & nè in insidias Esau incidat, præcavet. *Cum Ecclesia hic Græca Men. 4. Jan. ode 3.* suspirantibus. Multi me adversarii sublimes impugnant; deficit in dolore vita mea in profudum peccatorum; salva me Domina, neque despicias me: nam te velut inluprabilem acquisivi tutelam. Et *ode 4.* Ad te dies noctesque ô præ omnibus re-

culpam clamabo, & hac ratione salvabor, murum etiam voluptatum tran-  
scendam, atque patrocinio tuo à dæmonum insultibus liber evadam. *Richard. à*  
*S. Laur. lib. 12. de laud. Virg.* Obumbrat præcipuè Maria super capita bellatorum,  
qui contra vitia pugnant, ut dicere valeant, qui sic pugnant: Obumbrasti Maria  
super caput meum in die belli. *Idem ibid.* In Maria velut in horto condense, &  
umbroso invenitur umbra propitiationis: ad hoc enim obumbravit eam virtus  
Alcissimi in Filij Conceptione, & ut ipsa precibus suis, meritis, & exemplis, ob-  
umbraret peccatoribus contra ostium cujuslibet pravæ concupiscentiæ.

*S. German. Patriarcha in encom. Deiparae.* O Domina mea sola mihi es ex Deo  
solatium, sola æstus in me existentis Divinus ros, cordis mei exarescentis gutta  
Divinitus fluentes, tenebricosæ animæ meæ splendidissima lampas, itineris mei  
directio, debilitatis meæ potentia, nuditatis meæ vestimentum, mendicitatis meæ  
divitiæ, insanabilem meorum vulnerum medicina. *S. Fulbertus Episc. serm. de*  
*Nativit. B. V.* Quid est fratres in hoc loco serpentis caput conterere? nisi princi-  
palem diaboli suggestionem, id est concupiscentiam resistendo superare? si ergo  
queratur quænam mulier ejusmodi victoriam operata sit? profectò non repe-  
ritur in linea generationis humanæ, donec perveniamus ad illam, de qua agimus,  
Sancta Sanctorum. Facite ergò quod monet *Innoc. III. serm. 2. de Assumpt.* expli-  
cans cantic. 6. *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Quicumque ergo sentit im-  
pugnationem ab hostibus, vel à mundo, vel à carne, vel à dæmone, respiciat  
castrorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam; ut ipsa per Filium immittat  
auxilium de Sancto, & de Sion tueatur. Nam ut *Bonav. Spec. B. V. cap. 7.* Ipsa  
non solum in plenitudine Sanctorum detinetur, sed etiam in plenitudine Sanctos  
detinet, nè eorum plenitudo minuat, detinet nimirum virtutes nè fugiant, de-  
tinet merita nè pereant, detinet dæmones nè noceant; detinet Filium nè pecca-  
tores percutiat. Hortatur proinde *Laur. Justin. serm. de Nativit. Virg.* Deum ve-  
neremur in Matre, Matremque honoremus in Filio: quatenus Filium Matris  
interpellante pro nobis; vincamus mundum, diabolum superemus, tentationibus  
tentationibus, adipiscamur coronam, atque in Regnum introeamus æternum.

Et *S. Bernard. hom. 2. super missus* sic quemlibet nostrum alloquitur. Nè  
vertas oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis, si insurgant venti  
tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam,  
si jactaris superbiæ undis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca  
Mariam, si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit  
mentis, respice Mariam, Mariam invoca, non recedat de ore, de corde, & ut im-  
petres

petres

petres orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum, ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsam tenente non corruis, ipsam protegente non metuis, ipsam Duce non fatigaris, ipsam propitiâ pervenis, & sic in temetipso experiris, quàm meritò dictum sit: Et nomen Virginis Maria. Legimus victoriam *Danielis* de gula *cap. 6.* cum captivus Regios cibos sperneret: animo ni fallor hoc faciebat, quia orabat versus urbem Jerosolymitanam, at hæc urbs teste *Ruperto 7. de Div. off. 25.* erat imago Deparæ. Imminebat Jacobo Esau *Gen. 32.* Ille modestè fert minas, non convivis saltem, & verbis iram ostentat. Unde tanta mansuetudo? viderat *Scalam* in itinere, quæ juxta *Bernard. serm. de Nativit. B. V.* Figura fuit Virginea, indè tanta viro inter pericula animi firmitas. Passiones animæ nostræ sunt quædam belluæ feroces; sed ubi in *Arcam Noe* quæ est Dei Mater inducuntur, omnes in quiete convivunt. *Eccles. 24.* Cinamomo Deus Virginem comparat, fortè quia præservat à corruptione, hinc avium in Arabia quæ cinamomo vescuntur carnes incorruptibiles esse dicuntur. Mare quoddam inquietum affectus nostri, sed Virgo pulchra ut luna, ipsum etiam mare coelum versus elevat: imò ubi diluvium aquarum & pericula deservièrant, arca in montibus Armeniæ quievit. Veniet ad montes sanctos qui manet in Arca, id est sub tutela Virginis, esto totus orbis periret fluctibus, & ita ad montes veniet, ut ipse nec advertat se venisse, quia velat in navi sine suo labore.

*Idiota cap. 5.* Ipsum nomen Maria super omnia nomina Sanctorum unguet agonistas, & jugum diaboli extrudit. *S. Brigitta in serm. Angelico cap. 20.* Super omnes malignos spiritus Virginem sic Deus potentem effecit, ut quotiescunque illi aliquem hominem Mariæ auxilium ex charitate implorantem impugnaverint, ad ipsius Virginis nutum illicò pavidi procul effugiant, volentes potius pœnas suas & misérias multiplicari, quàm Mariæ potentiam taliter super se dominari. *S. German. orat. de Româ.* Tu ô Virgo nequissimi hostis invasiones solâ tui nominis invocatione repellens, tutos nos, atque incolumes conservas. *Bernardin. rom. 3. serm. 1. art. 3. cap. 2.* Nec inconvenienter situs stellæ maris cum sit in Aquilone, convenit Mariæ, quoniam per Aquilonem persecutio vel tribulatio designari solet, propter ventorum & procellarum vehementiam; ideo locus Mariæ in Aquilone est, ut per eam austeritas persecutionis inflictæ hominibus temperetur. Solet etiam per Aquilonem peccatum significari, undè *Hierem. 1.* *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Ideò consequenter locus Aquilonis ei appropriatur, eo quod ipsa media inter peccatores, & Filium statuat, ut ex illa parte iram ejus mitiget.